

**SAECULI NOSTRI,
ORIENTIS, ADOLESCENTIS,
LINEAMENTA.**

**PROLUSIO HISTORICA,
SOLENNIBUS
IMPERIALIS GYMNASII RIGANI,
QUINTO ET VICESIMO,**

**EX QUO
INSTAURATUM EST, ATQUE INAUGURATUM,
ANNO PERACTO,
D. XVI. M. SEPTEMBR. A. MDCCCXXIX.**

**RITE
CELEBRANDIS, JAM INDICANDIS,**

D I C A T A.

**AUCTORE
H. C. LAURENTY,
HISTOR. DISCIPLIN. IN IMPER. GYMNAS. RIGAN. PRAECEPT. SUPER. ORD.**

**RIGAE,
TYPIS GUIL. FERD. HAECKERI.
MDCCCXXIX.**

I m p r i m a t u r .

Rigae, d. XVIII. m. Aug. MDCCCXXIX.

C. E. NAPIERSKY,
Censor.

VIRO EXCELLENTI, AMPLISSIMO, ORNATISSIMO,

D^{NI}. GUSTAVO EWERS,

**MAGNIFICO IMPERIAL. UNIVERSITAT. LITERARIAE DORPATENS. RECTORI, XII^{UM} ANNIS
CONTINUIS ELECTO, CONSILIARIO STATUS ACTUALI, ORDIN. EQUESTR. IMPER. S. VLA-
DIMIRI CL. III., S. ANNAE CL. II. EQUITI, JUR. PUBLIC. GENT. ET POLITIC.
PROFESSORI PUBL. ORDIN. REL.,**

QUA PAR EST, SUMMA OBSERVANTIA, VERECUNDIA, PIETATE, S. D.

H. CAROL. LAURENTY.

Qui fiat, ut, quacunq̄ue, in hisce Imperii Rossiarum provinciis Germani nominis, so-
lennia, gratulationes publicae rei scholasticae servatae, invalescentis, vigentis agantur,
gratam iisdem Tui, Vir. Excellens, memoriam necesse sit celebrari, haud profecto opus
est verbis meis declarari, quippe quod et conspicuis rerum gestarum documentis adpa-
reat, et ipsis muneribus, honoribus, praemiis, publice Tibi tributis, demonstretur, conscien-
tia denique et consensu omnium, quotquot gnari sint publicae salutis, contineatur. Neque,
si quem forte lateret, mei certe loci, meae verecundiae esset, laudibus, quamvis veris-
simis, praedicare, quantum de re publica scholastica, et universa, et nostra, tot per annos
ejusdem regundae praesul et custos, promerueris, laudibus, haud quidquam sane orna-
menti addituris dignitati Tuae. Neque tamen mirabitur quisquam, fieri et in nostris so-
lennibus hisce, jam celebrandis, illud, quod pietatis est, tum humanae omnino, tum nostrae

praesertim, nempe, ut haud immemores simus, magnam eorum eventorum, incrementorum, munerum ab Augusta benignitate et munificentia acceptorum, de quibus laetamur, partem Tuo nostri praesidio, Tuis curis, Tuis laboribus deberi; cujus rei monumenta pariter in actis publicis, atque in animis nostris, sempiterna servantur.

Memor vero et ego, quanta Tibi, Vir Excellens, debeam; atque persuasum habens, nullum prorsus a Te desiderari, neque aliud ullum a me exhiberi posse grati erga Te animi testimonium, nisi quod idem muneris mihi mandati fidem, religiose servatam, testetur; conscius etiam mihi, voluntatem certe servandae illi semper fuisse intentam, meum semper existimabam, ut studii, vel conaminis cujusvis, in eodem munere administrando suscepti, rationem redderem Tibi praesertim, penes quem est auctoritas videndi atque cavendi, ne quid detrimenti res publica scholastica capiat. Itaque vel harumce pagellarum qualiumcunque consilium et rationem Tibi probari, exiguitatem excusari apud Te posse, maximopere cupio. Nolim autem, Te iudice, adnumerari innumero fere gregi istorum, qui rerum temporumque, praeteriti, praesentis, pariter ignari, somnari quam videre, opinari quam indagare, commenta quam commentarios contexere, declamare omnino, quam narrare malunt, divinare etiam divina de rebus humanis consilia, vaticinari futura audent, ingenii atque doctrinae penuriam vanitatis superbia pensantes.

Ex quo igitur communis solennium, quae nobis instabant, parandorum curae partem in me susceperam, id agitabam, ut eorum studiorum, quibus imprimis insidere consuevi, quibusque principem fere locum in historiae doctrina tribuerim, illorum quidem, quae gentium et populorum, vel antiquitatis et medii aevi, vel adhuc vigentium, origines, cognitionem, stirpes, accuratius indagandas, ex ipso auctorum principum fonte deducendas, spectant, specimen exhiberem. In quo consilio exsequendo mira et varia fortuna, tum secunda, tum adversa, vel adjutus, vel praepeditus, tandem adparatus literarii, illi necessarii, conquirendi difficultate, sane haud levi, temporis vacui etiam, hisce studiis tribuendi, inopia, cum locus morae nullus jam reliquus esset, subito cogebam, ut rem propositam, volumini quam libello, integris annis quam singulis diebus aptiorem, feliciori tempori servandam seponerem, atque programmati solennium meo ejusmodi argumentum eligerem,

cui perficiendo solus animus, promta fere rerum memoria, tempus decadis circa dierum opusculo concessum, sufficere possent.

Quum autem, universa laetitia publica, continua fere victoriarum Aquilae nostrae fama, animus a temporis praeteriti cujusvis memoria, ad nostri majoris admirationem advocaretur, saeculi nostri potissimum indolem adumbrare statui, orientis, adolescentis, adulti praesentis; quippe quod argumentum largissimam mihi praeberet copiam, solito more familiari, cum adolescentibus nostris colloquendi, eorumque ad animos revocandi ea, quae inprimis inhaerent iisdem vellem, circa historiae docendae, discendae finem et fructum omnem ac principem spectandum.

Attamen, in ea etiam via sequenda, ita nunc praepedior rerum amplitudine, temporis atque legitimorum opusculi limitum angustiis, ut in medio jam stadio sistere gradum cogar, intactis temporibus proxime praeteritis et praesentibus; fausta forsitan fortuna mea, viribus quippe imparibus, tantis rebus, quantae gerantur, vel adumbrandis.

Quidquid igitur ingenium haud uberius, memoria haud multarum rerum tenax, animus, publica quidem felicitate laetus, caetera multum sollicitus, manus denique festinans, rure versantis, in suppellectile literaria parum lauta, arctis otii finibus cohibiti, perficere valuerunt, jam excipere atque accipere, rogo, velis, Vir Excellens, serena fronte, solita aequitate, eademque usus indulgere atque ignoscere iis, quae peccavero in rebus et verbis conserendis. Neque enim ullam curam, aut medelam praebere potui vitiis, festinationis culpa ortis, orationis inconcinnitati, nec premere, vel in diem tertium, recentem scripturam. Facile etiam fateor, altius passim, quam decebat, sublatum esse animum rerum tantarum contemplatione, atque ubique fere sensum pro arte, pectus pro eloquentia mihi fuisse, verba suppeditasse. Quodsi tamen, hacce opella mea, adolescentibus nostris dicata, illud saltem adsequutus fuero, ut a consilio meo, illorum commodis intento, a via proposita veritatis, simplicitatis, haud prorsus aberrasse videar Tibi, iudici justo, facile feram iudicia istorum, qui condere quidquam inertes ipsi, rei cuivis tamen, ab aliis exhibitae, seduli statim atque frequentes adsunt, operis, opusculi consilium, argumentum, expositionem, dente longo, superbo adrosuri. Docta autem artis peritorum cen-

sura, severa etiam, vel in re leviori, stimulos addit animo et viribus, res magis arduas molituris.

Valeas, Vir Excellens, publicae rei scholasticae salutis, Tui indigae! Valeas nobis omnibus, Tibi addictissimis, mihi verecundo imprimis Tui cultori! Valeas ita, uti grati nos omnes Tibi precamur, precaturi Tibi votis et precibus sumus in solennibus nostris!

Scribebam Hagaemontibus, Rigae suburbanis, calendis Augustis a. MDCCCXXIX.

ADOLESCENTIBUS, HUMANITATIS STUDIO SIS, GYMNASII NOSTRI ALUMNIS, SALUTEM !

Tempora, annis ingentis instar, flumine continuo, nullo in loco morante, nunquam cohibito, praeterlabuntur, alia placida, limpida; alia, fluctibus agitata, turbida, violenta. At pari silentio praeterirent omnia, nullis prorsus sui vestigiis relictis, in oblivionem aeternam, nisi humani animi vigor idem ille, qui, ortus ex fonte divino, originis suae memor, vasta terrarum et maris deserta animare, coeli spatia immensa investigare cupit et valet, silentes temporum undas signaret claris nominibus, immortalis cogitationum, consiliorum, inventorum, rerum gestarum memoria, laeta vel tristi, fausta vel infausta, gloriosa vel ploranda. Divinus idem humani animi vigor intueri, contemplari, servare amat quaevis ingenii, animi, artis documenta et monumenta, in via, quacunq ue progressus est, a semet relicta, quippe futuri nisus, sublimioris, incitamenta. Respicere, quid actum fuerit, circumspicere, quid agatur, prospicere, quid foret agendum; cavere, ne silentio breve aevum transigatur, neq ue solis tantummodo et siderum motu ac vicissitudine tempora definiantur; curare, ut singuli anni, menses, dies, horae, gratis rerum gestarum muneribus et beneficiis, laetis humanae salutis germinibus, floribus, fructibus sint insignes, suum existimat ille. Atq ue is nimirum fere solus et summus est historiae, rerum et hominum memorabilium memoriam servantis, cognoscendae, docendae, finis. Humanam, uti singulorum mortalium, ita integrorum populorum, gentium, nationum, universi denique generis humani, vitam, necessitudinem, vicissitudinem, fortunam, incrementa ac decrementa spectare, intelligere, posteritatis memoriae tradere studet, sapientiae amans, nutrix, magistra. Quumq ue varia sit et mutabilis humanae sortis ratio, fortuna, cernere ac discernere, quoad liceat per mentis humanae aciem, cujuscunq ue aetatis vel saeculi commoda atq ue incommoda, spem, eventum, delicias, dolores, quidq ue voluerit, agitaverit, perfecit populus quisq ue, in quovis tempore, indagare conatur. Res gestae sunt documento. At multiplex, obscura, difficilis cognitu est, uti res indaganda, ita ejusdem doctrina, vel disciplina. Nimia enim rerum maxime diversarum, leviorum, graviorum, gravissimarum, copia et varietate facile obcaecatur mentis obtutus, turbatur animi sensus. Tum autem opus est manu amica

duce, quae viam indicet dubiam, vinculo, quod componat et religet sejuncta, adversa, face, quae illustret obscura. Illam porrigit, alterum praebet, hanc accendit et praefert sola religionis fides, pia, sancta, religiosa.

Verum enim vero alma haecce humani generis cum summo numine divino conciliatrix, etsi nunquam defuit rebus humanis, luculentior tamen, clarior, illustrior, haud unquam profecto apparuit, neque ullo tempore ab omni memoria magis conspicuis rerum documentis confirmata, illustrata est, quam saeculi nostri, adhuc juvenilis, eventis, inde quidem ab ejusdem primordiis ad eum usque, qui hodie nobis illuxit, diem laetum. Nolite igitur mirari, amicissimi adolescentes, quod ego, Gymnasii nostri, humanitatis disciplinae ac studiis dicati, atque aequalis fere saeculo nostro, solennibus, quinto aevi sui lustro peracto, celebrandis jam praefaturus, atque vobiscum praesertim colloqui in re tam fausta agunda cupiens, argumentum elegerim hocce potissimum ejusmodi, quod animos vestros erigat, dirigatque sursum et solam versus, quae possit precibus impetrari, viribus attingi, animi et vitae felicitatem!

Saeculi nostri, matura jam juventute, multis atque egregiis coronis, solertiae, industriae, virtutis praemiis, decora gaudentis, vitam hucusque actam, vegetam et claram, lineis extremis adumbrare conatus, dimidiam tantummodo rei agundae partem absolvere potui, temporis concessi ratione et justo libelli modulo, ne ultra progrederer, vetantibus. Quam vero oculis animisque vestris, optimi adolescentes, jam proposui, orientis, adolescentis saeculi nostri tabulam, eam a Vobis acceptum, quasi munusculum in festi diei hujusce memoriam, atque spectatum iri, eodem, quo Vobis eam dicavi, animo, humanitatis studioso, omnem denique operam meam, Vobis dicatam qualemcunque, commodis Vestris profuturam, summopere velim! Valeatis!

SAECULI UNDEVICESIMI PRIMA XV ANNORUM AETAS.

I.

Prioris saeculi diem, quamvis laboriosum, luculentum tamen et gloriosum, vespera sequuta est parum laeta, aerumnosa etiam, gravium tempestatum publica calamitate insignis. Consenuit illud et occidit, uti ortum erat et adoleverat, inter bella cruenta, ingemens segetem suam fructu frustratam, spe nulla fere laetioris sortis superstite. Quin occasurum vidit nova pericula, toti terrarum Europae orbi inde minitantia, jam imminetia, unde gravissima vulnera is jam acceperat; vidit populum eundem, qui, diuturna calamitate domestica ipse vexatus, discordiae ac seditionis peste intestina late per terras exteras propagata, pari ferocitate in semet, atque in populos confines saevierat, vidit, inquam eundem, modo indomitum, regiminis, vinculi cujusvis, religionis etiam impatientem, jam sorte, animo, studiis subito mutatis, defatigatum quippe tantis miseriis, quantas perpessus erat, dictatoriae unius viri alienigenae, haud pridem ante obscuri, voluntati ac potestati usurpatae docilem, obsequentem, subjectum; auctisque tum viribus, armis iisdem, quibus ipsam pyramidum antiquam patriam, vastaque Syriae deserta invaserat, denuo jam grassantem per Germaniae, Helvetiae, Italiae terras florentes, paullo ante liberatas; vidit Britanniam, maris omnis late dominam, populos sui aemulos omnes inde arcentem, imperiosam. Sola tum Rossia, cuiusvis injuriae, aequo populorum et gentium juri illatae, fortiter reluctans, resistens, solatio seni erat. Vidit denique populos omnes ardentius nihil, quam requiescere tandem a laboribus atque doloribus suis, optantes. Almam pacem ab omnibus maximopere desideratam, sortem sua feliciorum, ultimis votis, precibus suis saeculum moriturum precabatur orienti. Spes aliqua tandem, pacis conciliandae praenuntia, moribundo arrisit.

II.

Illuxit autem, atque ortum est saeculum nostrum, auspiciis laetioribus gaudens. Ipsum enim mensem ejusdem natalem salutavit felicitas pacis, in Germaniae terris compositae, eodem die, quo aquila Rossiae, Caucasi montibus superatis, in Georgia consedit, atque terra haecce, naturae muneribus felicissima, tum autem continuis turbis intestinis,

creberrimis barbarorum invasionibus, prorsus vastata, jam imperii potentissimi finibus juncta, tuta in futurum ab utraque ista calamitate, gaudere nova sorte, laetiore, refflorescere coepit. Qualis autem foret saeculi, recens nati, sors, conditio, fortuna, sol vernus anni natalis nuntiavit, immensis Rossiarum terris, Europae omnibus faustissimus. Etenim fere cum illo solarem gloriae, prosperitatis publicae viam suam ingressus est Alexander, natus olim et adolescens conciliandis sibi, oblectandis omnium animis, tum autem, ubi orbis terrarum maxime egebat genio bono, potente, tutelari, talis populis omnibus conciliandis, paci omnium componendae, saluti denique humani generis augendae, ornandae, in solium summum collocatus. Tum vero clare adparuit, quanta inesset divinae indoli, humano animo insitae, in tanto fastigio positae, potentia, majestas! Divinae, inquam, indoli illi, quae nihil aliud spectat, vel agitat, quam consolari, illustrare, beare mortalium sortem et vitam. Tum clare adparuit etiam, quanta esset humanae pietatis, gratiae voluntatis, insignis omnium amoris in suas delicias, vis, gravitas, amplitudo. Tum denique clare adparuit, quanti in omnibus rebus humanis, et moliendis, et efficiendis, esset divinae opis, tutelae, divini praesidii, religiosa fides; illud autem, et illam utramque solis adesse consiliis iis, quae pio animo, humanae salutis studioso, fuerint suscepta et incepta; neque ullo modo, malis consiliis et artibus ullis, cohiberi posse humani generis nisum et progressum; maximopere autem adjuvari utrumque, potentium humanitate, alma cura, benignitate, votis mortalium omnium in societatem imperii adscitis.

III.

Nulla profecto, eo temporis usque, laetiora unquam exstiterant regni ullius aut imperii primordia, nulla aequae alma et paterna, atque divi Alexandri, nulla tot tantisque beneficentiae, clementiae, humanitatis muneribus insignia. Regibus, gentibusque exteris pacis auctor atque instaurator, populis, gentibusque suis novae salutis et lucis conditor ille, summam auctoritatem minus in tanti imperii opibus et copiis, quam in omnium hominum, cujusvis terrae, originis, ordinis, benevolentia et pietate posuit, habuit. Splendidior etiam fiebat lux orientis haecce, occiduae regionis umbris ac tenebris. Duplex enim et bifaria, valde diversa et adversa, tum simul adparebat summi imperii indoles, forma, natura; alterum usurpatum, vi aperta, corruptela occulta, gloriae et pecuniae blandimentis paratum, omnibus ingratum, invisum, horrendum, terroris et metus munimentis anxie custoditum, vanam splendoris et majestatis speciem prae se ferens, solis suae auctoritatis amplificandae commodis prospiciens, alienis omnium opibus inhians, servitutem acerbam, indigenis aequae, atque exteris populis parans; alterum autem hereditatis et pietatis jure legitimo, ex omnium votis ardentissimis, acceptum, nullo limite circumscriptum, augustum, nullius munimenti egens, paternum, gratam Titi, Trajani, Antonini utriusque, Caroli magni, Maximiliani I., boni Henrici IV., simul memoriam revocans, gloriam cujusvis illorum ornamentis, incrementis amplificans, gratissimum omnibus, miramque excitans caritatis et

pietatis aemulationem. Alter, occidentis terrae potens, instituere ubique nova majestatis iudicia, innumeris mandare speculatoribus et custodibus animi ipsi infesti indicia quaevis, vultus, verba exploranda; cohibere militari severitate ac disciplina adolescentis aetatis studia, adultae voluntatem; vocem et spiritum intercludere omnem libertatis, lucem humanitatis; augere, amplificare, perpetuare potestatem, redemptis pecunia suffragiis, conductis, qui blande annuerent, qui male repugnarent ambitioni, adulatoribus; fingere insidias, conpirationes, sibi paratas; fictarum reos, necare, interimere, exterminare, ne vel suspecti quidem infestae voluntatis superessent; servilem instituere senatum, nutui obnoxium; subornare denique, qui publice praedicarent, gratularentur ipsi, quasi maxime florentem, salutem publicam, jam oppressam!

Alter autem, augustum orientis imperium tenens, sublatis statim veteribus majestatis iudiciis secretis, sancire, ne cui verba suspicioni, suspicio crimini, criminatio facinori essent; instaurare legum et senatus auctoritatem; uberrimam praebere ingeniis lucem, liberrimam animis vocem, ampla viribus exercendis stadia, magnifica aemulationi praemia, benignam populis salutem, augustam imperio majestatem; atque, ut verbo rem inexhaustam absolvam, unum spectare, unum velle et agitare, nempe, juvare omnes, amari ab omnibus. Hujus autem imperii diuturnitatem votis, precibus piis, sinceris omnes, ultro a solo Deo expetebant.

IV.

In tali siderum, fausti, infausti, alterius alteri adversi, infesti, constellatione primam aetatem agens saeculum nostrum, mirum dictu, auditu est, quantis laboribus, malis, doloribus fuerit exercitatum; quantum vero etiam consolationis, levamenti, medelae iisdem malis, quantum spei, salutis, ornamenti, illi tribuerit benignitas divina. Actum atque deductum a genio utroque suo, et malo, et bono, in studia diversa, in viam duplicem, sequutum utique utramque, jam in primo aetatis decennio, magna, ingentia, inaudita meditata, moliebatur, factitabat. Adfuerunt saeculo adhuc infanti viri priori superstites multi, ingenii, animi, voluntatis viribus pollentes: exstiterunt alii temporum necessitati apti, pares, virtute fortes, qui singuli emergent, clari, ex universa populi sui et abjecta humilitate. Exstiterunt populi integri, qui uno animo, una voluntate instincti, intrepidam insurgerent atque resisterent injuriae sibi illatae, servituti paratae; qui sui exemplo probarent et confirmarent, quanto praevaleret malis artibus, innumeris copiis, solus virtutis, patriae, pietatis memoris, vigor, quantoque potior esset, corporis robore et armis, inermis fiducia Dei. Acti sunt labores isti, deleti animo dolores, sarta mala, curata vulnera; manent, vigentque indelebilia illius temporis beneficia, munera, ornamenta! Tranquillo jam animo recordemur sortis utriusque, faustae, infaustae, memoriam. Sola et simplex nominum, rerum, eventorum memoratio id certe efficiet, ut fides nostra humanae salutis, a summo numine custoditae, ubicunque adpareat invicta et victrix. Triumphare licet, in bonis rebus, temporibusque, de malis superatis.

V.

At, occidentem versus spectantes, obumbrari denuo videmus, nubibus recens coortis, clarum mane, quo laetabatur saeculum oriens, atque denuo labefactari pacem, ubique terrarum et gentium Europae modo compositam, votis omnium exoptatam, expetitam, impetratam, tantis piaculis redemptam, sed male cautam, neque tutam ab infesta ambitionis, aviditatis arrogantia. Ille enim, qui genti, in terris occiduis tum praepotenti, praeerat, in pace quavis componenda, novas belli insidias et causas caeteris struebat, otium sibi quaerebat, quo, fausta fortuna sibi arridente, callide usurus, imperium usurpatum muniret, amplificaret, perpetuaret, defessis fractisque caeterorum viribus. Is populari Consulis titulo primum adfectato, dictatoriam potestatem, nullis nisi vanis limitibus cohibitam, exercere, eandemque primum in singula decennia, dein ad vitae diem prorogare, domi res omnes tyrannidi aptas et commodas reddere, novam creare nobilitatem, vetere pridem abolita, voluntati addictam; alia parare quaevis militaris imperii instrumenta; foris res omnes omnium miscere; mixtis, turbidisque instauratorem sese praebere, Bataviae socium, Helvetiae mediatorem, Italiae superiori praesidem. Tandem, ambitionis voragine nondum expleta, fundamento satis firmo posito et viso, altius adurgere, sublimiora superstruere illi; augustam Galliae, regiam Italiae coronam arripuit, scilicet electus, rogatus ab omnibus, omnium consensu et suffragio cooptatus, omnium plausu et gratulatione salutatus. Rei publicae titulus, qui in nummorum tantummodo inscriptione adhuc legebatur, glorioso magni imperii cedebat, atque tali dignus exercitus, quasi instar omnium, magni etiam cognomine decorus, subigendo universo orbi Europae condebatur. Jam ille „oceanum instar, nulla mole cohibendi, fines suos sibi ipse electurus,“ Austriae vires labefactare, subruere, Germaniam, custode suo orbatam, nutu suo et arbitrio regere; soluto sacro et antiquo imperii Germanorum foedere et vinculo, principes eorumdem in recens foedus servitutis coegit, foederi protectorem sese praefecit, subjectos sibi reges creavit, populorum opibus et copiis, pro lubricine sua immensa, abusus, abusurus. Italiae parte alia magni imperii finibus juncta, alii, expulsa regia stirpe legitima, regem dedit fratrum alium, alium Bataviae, in regni formam jam redactae; variis ita titulis, nominibusque, sui vicariis, usus, summum imperium unum idemque ubique exercens, pensi sanctique nihil habens. Maligni praecepti istius: divide et impera! bene memor, callidus sectator, terrae et populi cujusvis libertati, saluti insidias struere, vim inferre studebat. Neque illis, neque hac evadere tandem potuit Borussia, viribus quidem potens, at belli tum insueta; cujus armis devictis, terris occupatis, exhaustis, ad Rossiarum fines usque grassatus ille, progredi ultra ausus non est, pacem composuit. Desiderabantur adhuc Hispania, Lusitania rotundando imperii orbi. Itaque terra utraque, pacis praetextu et societatis, armis infestis occupata, rege alterius fugato, alterius autem insidiis capto, inviti, irati tantae violentiae populi, eandem ulturi, ratione nulla habita, Hispaniae, Indiarum etiam regem fratrem nominavit. Tum Austria iterum petita, invasa, ambigua tamen fortuna, vix devicta, eoque potius spoliata, divisa, pace

prorsus fracta est. Roma, Batavia, Germania inferior deinceps, magni imperii finibus junctae. Ambitio crevit cum lucri incrementis. Tandem ille, ut fastigium superbiae escenderet, repudiata uxore, faustae fortunae conditrice, fida comite, augustam conjugem sibi petivit, obtinuit. Jam in felicitatis summo fastigio versari sibi, omnibus visus, felix esse desiit, praiceps actus interire coepit. Superbia enim praecedere solet ruinam!

VI.

Ille autem, cujus immortalis memoriae mortales omnes benedicunt, divus Alexander, ex quo magno orientis imperio praeesse coeperat, memor illius, a majorum maximo, imperii conditore, gravissime dicti: „Unam esse Deus voluit Rossiam, quae aemulam sui nullam habitura sit unquam!“ memor, inquam, ejus, toto animo, summis viribus id agitabat, ut parem imperio majestatem, atque populis felicitatem, quantam posset cogitare, pararet. Pacis conciliandae universae regibus populisque exteris omnibus auctor et mediator, eidem illi servandae, tuendae summopere intentus, injuria adfectis, vi jure potiore oppressis omnibus, auctoritate sua, praesidio, auxilio aderat, malis tantis, insanabilibus fere, quantum fieri possit, opis adferre adnixus. At suis praesertim terris et populis salutem omnem, caeteris tum negatam, tribuere, precibus, curis, laboribus, piis, continuis, indefessis, studebat, eventu prosperrimo, quidquid agitaret, remunerante. Pari enim in Deum immortalem pietate, fide, religione, atque in mortales caritate, humanitate instinctus, sancto excelsi muneris officio totus intentus, diem vitae profecto nullum perdebat; nullum profecto agebat, quin voto pie suscepto, salutis humanae augendae, strenue solvendo, prospiceret. Almae inprimis humanitatis luci, per vastas imperii sui terras propagandae, viam, quamcunque indagaverat salutarem, aperiebat. Quo consilio praeclaro, suboli juventutis ad humanitatem informandae, religionis, literarum, artium doctrina imbuendae, sex universitates literarias, ultra ducenta Gymnasia et seminaria, ultra bis mille scholas inferiores condebat, instaurabat; novam universae publicae rei scholasticae legem et normam, sapientum virorum consiliis et laboribus descriptam, sanciebat; viros doctrina, eruditione, arte insignes, opifices etiam et colonos, e terris exteris arcessebat; viros eruditos, juvenes solertes, electos, populares, illuc mittebat, quidquid visu, cognitu, imitatu dignius esset, ibi exploraturos, inde petiuros; primus Ille aquilam suam emittebat volatum circa orbem terrarum, humanitatis commercio cum terris populisque maxime longinquis jungendo ita consulturus. Singularem simul, paternam prorsus, curam tribuebat levandae, juvandae, ornandae agricolarum sorti et conditioni; quippe quibus jura et beneficia, munera vitae quaevis, injuria pristinorum saeculorum ipsis erepta, glebae adscriptis libertatem, sui suorumque jus et potestatem, praediorum proprietatem, novam spem, auctam salutem restituere, vindicare, largiri maximopere studeret. Parem in ordinanda et emendanda publicae rei omnis, provinciarum imperii omnium, legum munerumque administratione curam et operam collocabat, atque in opibus et copiis imperii ita augendis, instruendis, ornandis,

uti par erat ejusdem majestati, atque in cetera regna auctoritati. Neque ulli molimini Ejus, quamvis arduo ac difficili, unquam deerat successus laetissimae prosperitatis, quippe cui in omnibus rebus agundis Deus adesset summus custos, atque hominum pietas, grata laetaque adjutrix.

Satiari animus nunquam potest in deliciarum et ornamenti generis humani laudibus, neque ullis tamen attingere unquam valet, vel benedicti principis bonitatem et virtutem, vel solvere unquam universae pietatis omnium vota!

VII.

At pensanti mihi saeculi nostri orientis lucem cum tenebris, res laetas cum moestis, solamina cum doloribus, atque morato in causis maxime et sedibus praecipuis tum felicitatis, tum calamitatis publicae, reliquum est, ut qualis tum fuerit ceterarum terrarum conditio, qualique fortuna populi ceteri vel gavis, vel afflicti sint, brevibus exponam.

Miramur Britanniam, claram, opulentam, praepotentem copiis maritimis, iisdem atque opibus suis, industria insigni partis, confisam, auctoritati atque commodis suis praesertim augendis, posthabito etiam interdum aequo in ceteros populos jure, intentam; tum autem, pace incerta, cum Gallis composita, mox denuo rupta, solam fere nimis crescenti et superbienti illorum potentiae, omnibus infestae et minitanti, summopere renitentem, eosdemque cohibentem. Triumviros quidem illos, quorum maxime consiliis prudentibus, rebus fortiter gestis res publica illius valde creverat, Pittium, Foxium, Nelsonem, intra unius anni fines, fato ereptos sibi lugebat. Neque tamen, ubi consilio et virtute opus erat, desiderabantur viri, qui illos aemularentur, aequarent. Videmus Carthaginis opulentae, cum Roma superba, de summa rerum certamina instaurata, novam tamen Carthaginem de nova Roma triumphantem, neque vero domi aequa et quieta felicitate semper gaudentem. Nimia enim divitiarum moles, fortunarum inaequalitas, factionum dissensio, uti antiquam illam maris dominam, ita recentiore, saepe vexabant, atque turbabant.

Videmus Sueciam et Daniam, terras aliam alii vicinas, angusto tantummodo maris freto, majore vero populorum cognatorum discordia sejunctas, infelicibus auspiciis et consiliis, adversa fortuna usam utramque, diversis e causis simili calamitate afflictam, neutram vel societate, vel inimicitia, cum altero utro praepotentium occidentis populorum, alterius alteri infestorum, felicem. Dania praesertim e juncta cum Gallia societate, scilicet leonina, nihil praeter vulnera ac detrimenta accipiebat.

Dolemus Bataviam, olim industriae indefessae, libertatis legitimae, omnibus aequae, concordiae inprimis prosperitate, fructibus uberrimis, tam opulentam, felicem, tum vero prorsus exhaustam, spoliatamque a magno populo, quippe amico et socio, opibus suis, per saecula paratis, industriae fontibus et viis obstructis omnibus; dolemus eam factionum studiis divisam, motibus civilibus vexatam, vi externa subactam, formam rei publicae sae-

pius mutantem, pro arbitrio populi socii, custodis; tandem, rege ipsi dato, sublato, magno imperio junctam, miseria publica, in quavis vicissitudine, magis magisque augescente.

Dolemus Germaniam pacis dolosae insidiis magis, quam armis devictam, vinctam, divisam, catenis gravissimis obstrictam, custodum suorum praesidio orbatam, vi infesta conculcatam, quaevis ignominiosa a superbia peregrina pati coactam, suppressa etiam voce, salutis, libertatis amissae vindice, tacitas preces et lacrimas sursum mittentem, adversus violentiam et superbiam, miseriis ipsius irradientem.

Dolemus Helvetiam, post cruentam luctam atque acerba rerum discrimina, dolo virtutem superante, vi praeponderante, jam prorsus oppressam, malorum etiam civium invidia divisam; invicto tamen in singulis viris et civitatibus animo generoso, antiquo, servitutis nescio, Dei confiso, neque unquam de salute recuperanda desperante. Macte, Helvetia, hacce virtute tua et fide, quae te servarunt!

VIII.

Admiramur autem Hispaniam, jam pridem pro ignava et inerte habitam, vinculis servitutis ab hoste doloso et infesto jam obstrictam, territam, neque exterritam tamen, injuria gravi et multifaria affectam, subito insurgentem universam, vim injuriamque gravem, sibi et regi suo illatam, gravius ulciscentem, bona et cara quaevis, sanguinem, vitam pro re carissima, devoventem.

Pari fortitudine Lusitani, regia stirpe sua exulante, jugum peregrinum, vi atroci ipsis jam impositum, a se amovebant, atque ita gloriam antiquam, diu neglectam vindicabant, instaurabant. Utrique autem populo afflicto, oppresso, Britanni praesto aderant auxilio, praesidio fortissimo, atque ab interitu, jam imminente, utrumque tutabant.

Summam vero misericordiam in illo tempore movet Italia, terra soli ubertate, coeli temperie felicissima, antiquitus autem, ac per tot saecula, illustris terrarum orbis domina; dein imperio amisso aliam subinde majestatem et auctoritatem, haud minorem fere, adfectans, induens, exercens, artis et literarum doctrinae etiam omnis olim sedes alma, cultissima, ornatissima. At neque Alpium, nec maris, quibus cingitur, munimenta tueri eam valuerunt a creberrimis, tam infestis recentiorum Gallorum invasionibus, neque prohibere, quin ab iisdem talia, pejora etiam et graviora, quam a Gallis veteribus, ab Hunnis et Vandalis perpressa olim erat, denuo pateretur; quin vastaretur ubique, expilaretur, opibus et ornamentis omnibus, quanta avehi possent, spoliaretur. Neque tum temporis, per saeculi hujusce primum decennium, requiescere unquam illi licuit; sed cruentorum bellorum perpetua fere sedes, intestinis simul motibus, turbis, tumultu, qualibus olim, Guelphica factione cum Gibellina certante, crudelissime vastata, vexata, in continua dominorum, regnorum, rerum publicarum, vicissitudine, auctam in dies videbat calamitatem. Roma ipsa augusta, haud intacta quidem a spoliatoribus, superstes tamen vicinis regnis et civitatibus, tandem etiam privata triplici corona sua, et munere regni a Francis olim accepto, ser-

vire jussa est et contenta esse secundae magni imperii urbis loco et titulo, scilicet, ut recentem domini majestatem, antiqua sua, jam prorsus eversa, exstincta, amplificaret. Vastae Italiae regiones, olim florentissimae, hortis similes, incolis frequentes, jam desertae, paludosae, insaluberrimae factae, pestifero aëre infames, monumento erant publicae calamitatis. Neque a montibus ignivomis suis, neque a terrae motibus violentissimis afflicta. unquam est tantis vulneribus Italia inferior, quanta tum accepit a praedonum indigenarum, advenarum, quibus praedae diu erat, crudelitate. Quanta, cheu! rerum humanarum, majestatis, felicitatis vicissitudo!

Terra autem illa antiqua, Hellenum patria sedes, dein a barbaris, universae Europae, christianae fidei, humanitati infestis, per saecula jam oppressa, vastata, exhausta, tum sortis laetioris, libertatis, salutis spem praenuntiam vidit, ab aquila Rossa sibi allatam. Labefactata, concussa extrinsecus, intus est caduca imperii tam infausti moles. Ultima proles superstes generis Osmani eodem tum potiebatur, cujus ipsum nomen, memoriam revocans primi oppressoris metropolis christianae, omni esse videbatur jam occasurae lunae. At Ionii maris insulae, aquilae nostrae praesidio in libertatem jam vindicatae, Moldavia, Valachia etiam, hymnis, Alexandri nomen augustum et beatum celebrantibus, jam resonabant.

IX.

Veruntamen in tantae tot terrarum atque populorum ruinae et calamitatis prospectu, qualis ab illo primo saeculi decennio praebetur, animus afflictus erigitur laeta humanae sublimitatis, virtutis, pietatis, devotionis, humani animi, generosi, invicti, illustris contemplatione, qualium exempla ac documenta conspicua, luculenta, facinora egregia, fere innumera, tum temporis etiam et praesertim exstiterunt, quorum aliquot tamen in memoriam revocasse juvabit; quale illud Ludovici, principis Borussi, qui Leonidae instar, primum impetum hostium, patriae saluti et libertati intentum, vehementissimum, ipse arcere cum parva manu conatus, inter primos pugnans, invictus occidere, quam suorum cladi et fugae superstes esse maluit; vel illum Schillii, Borussi, et suorum infelicem patriae liberandae conatum et devotionem; vel admirandam illam Guilielmi Friderici, ducis Bronsvigae, expeditionem, Graecorum reditum, Xenophonte duce, revocantem, continuis in longo itinere proeliis insignem, futurae devotionis praenuntiam; tum heroum Hispaniae, qualium Romanae, Palafoxii, Minae, Calvi de Rosas, incolarum omnium Caesareae Augustae et Gadium, clara facinora, invictum animum, devotionem. Neque immemores simus Andreae Hoferi, rustici Tyrolensis, et popularium consortium ejus, qui magnos hostium exercitus instructissimos, peritissimorum ducum artem rustica virtute et fide devicerunt. Ille autem, invictus quidem, dolo tamen amici proditus, summis Alpium nivibus extractus, victima cecidit, vindictae tyranni immolata; aequae ac insons et generosus Henricus Burbonus, regiae gentis Condaeae ultima proles, cui clarum genus, clarior virtus crimini fuerunt, et suppli-

causae; cui summa misericordia, ab omnibus tributa, odio indelébili in interfectorem iústineta, perpetuo erit monumento.

Memores denique simus Pii VII., praesulis ecclesiae catholicae, senis inermis, at infracti animi, in carceris et cruciatus anxietate, nihil veriti iracundas potentissimi inimici minas et vexationes, sed Omnipotentis iustitiam adversus illius atrocitatem palam obtestantis. Tiberii nempe et Neronis redierant atrocia tēpora et facinora, quibus tenebris luctuosis splendidiora etiam reddebantur praeclara virtutis, humanitatis lumina.

X.

Dum vero dirae belli continui et cruenti furiae, quoquo versus grassantes, genus humanum et ipsam humanitatem infestabant, graviaque vulnera ac detrimenta utrique infligebant, alteri servando, alteri tuendae, alendae, prospiciebat divina benignitas, humani ingenii et animi vires ac studia illuc intendens, ut levamenta, remedia malorum et dolorum pararent, nova semina spei et salutis indagarent, seminaria utriusque conderent. In prima illa referendum praesertim est remedium pestis variolarum, ab immortali Jennero, Britanno, prius jam inventum, tum autem ubique terrarum Europae cognitum, latius in dies propagatum, magis magisque invalescens. Quot millenorum millium hominum vita servata jam debetur viro illi, debebitur adhuc a posteritate! Neque fere minus bene de salute humana promeruerunt ii, qui juvandae atque emendandae puerorum disciplinae toto animo intenti, novas vias ejusdem, faciliores indagabant, easdem muniebant; quales tum temporis exstiterunt Bellius et Lancaster, Britanni, Pestaloccius et Fellenbergius, Helveti; quales inprimis exstiterunt magni principes, humanitatis propagandae auctores et conditores; qualis, ut exemplum instar omnium, clarissimum, jam memoratum, repetam, qualis, inquam, exstitit Benedictus Alexander!

Mirum est, quantum eodem tempore illo, inter tantum armorum strepitum et tumultum, incrementi ceperit doctrina humana omnis, ea inprimis, quae radices et fundamenta naturae rerum investigare studet; mirum est, quanto eadem vel aucta sit, rebus recens inventis, causarum experimentis, vel illustrata, radiis luminis cujusvis, dispersis ante, jam in unum focum collectis, ope philosophiae, a Germanis praesertim cultae. Documento incrementi generis utriusque sint: sidera nuper inventa, Cereris, Palladis, Junonis nominibus insignita; natura metallorum et terrarum a Davyo et Klaprotho inprimis, vis illorum electrica a Volta, Italo, atque a Rittero, Germano, indagata; haecce etiam, atque vis magnetica animalis, antiquitas jam cognita, tum autem multorum studiis atque experimentis valde illustrata, sanandis hominum morbis insigni cum successu adhibitae; dein res acustica, a Chladnyo, Germano, prorsus investigata, oculis etiam demonstrata; usus navigationis aëriae, indagandae naturae rerum dicatus; naves, vaporum aquae vi agitandae, tum inventae, populorum commercio juvando utilissimae; denique, antiquitas priscae Aegypti ab erudito Gallorum agmine recondita, illustrata, oculis exhibita. Tria adhuc nomina clarissima, quasi

orientis saeculi indicia et ornamenta, memorare juvat, instar multorum: Humboldi, indagatoris rerum naturae sagacissimi, peregrinatoris doctissimi; Krusensterni, navigatoris clarissimi, viam docentis aquilam Rossam, terrarum orbem circumvolantem; Karamsin, egregii historiarum Rossiae conditoris, felicis Herodoteae simplicitatis, Livianae orationis et amplitudinis aemulatoris. Mirum denique, quantum in miserrima illa rei publicae conditione, apud Germanos praesertim, ars atque doctrina omnis profecerint, quam belle tum maxime ibidem floruerit ars omnium maxime liberalis, poesis. Ingenii enim et animi vigor, quippe servitutis impatiens, felicitatem in terrae continentis regionibus tum desideratam, in insulis beatis sibi quaerebat, in illis adytis atque asyis, quo nullus aditus patet armis, violentiae, tyrannidi. Attamen refugia tuta quaedam in Germania, tum etiam, patebant musis fugatis, languescentibus, qualia inprimis praebebant: Vinaria, Caroli Augusti auspiciis florens, quam Goethei et Schilleri ingenia inprimis decorabant; tum Berolinum, omnis doctrinae artisque cultu insigne; quod Friederici Guilielmi III. sapientiae, munificentiae debebatur; Monacum denique, Maximiliani I. singulari liberalitate tum illustre et beatum, aequae ac terra omnis, cujus caput est illud.

Terra autem nostra, inter ceteras imperii orientis provincias, ab omni vexatione et calamitate tuta, salute publica insignis, tum praeter innumera Augustae benignitatis munera, inprimis gratulabatur sibi Universitatem literarum Dorpati instauratam, cura singulari et magnifica ornatam, almam scholarum et studiorum, almam et nostri Gymnasii Metropolin, Alexandri monumentum.

XI.

Duobus ita, primae aetatis lustris, uti jam dixi, defunctum inter lucem et tenebras, inter spem et metum, saeculum nostrum jam assuescere tantis malis et laboribus suis, in terra occidentis, videbatur, spem omnem autem laetioris sortis orituram sperare ab oriente. Tum vero proxime instabat tempus, quo experiri populi debebant fidei momentum, divinam in summo discrimine opem, lucis de tenebris victoriam gloriosam. Tertium instabat lustrum illud illustre, cujus memoriam, quum in ore et animo quovis ea habitet, haud opus est multis verbis revocari, quippe quibus obumbretur potius, quam augeatur claritas rerum, quae ipsae loquuntur, nullius interpretis indigae. Indicasse tantummodo gloriae ac triumphi vestigia, satis erit. Laetio nunc animo sequemur viam regionis orientis atque Alexandri.

At in ejusdem etiam lustris primordiis coelum obductum atris nubibus, gravi tempestate gravidis, adparebat. Felicitate terrarum et populorum occidentis fere omnium eversa atque diruta, solus is, qui summo imperio ibidem potitus erat, uti prius dixi, in summo felicitatis et magnitudinis fastigio versari sibi videbatur, tot terris populisque vel subjectis potestati suae, vel servili societate imperio suo junctis, progenito etiam filio herede, qui genus et imperium, novum et ambiguum utrumque, perpetuaret.

Duplex sollicitudo illius animum adhuc tenebat, vexabat, neque tranquillum fuit tantorum laborum fructu eum sinebat. Etenim ab altera parte Britanni ubique instabant, urgebant,

praepediebant, classe infesta, copiis terrestribus etiam, Hispaniae inprimis et Lusitaniae juvandis ac liberandis summopere intenti; quibus in terris populorum, patriae amantium, servitutis peregrinae impatientium, vigor et ardor generosus summo splendore tum fulgebant; ab altera autem et praesertim obtinendae summae in rebus Europae regundis auctoritati obstabant Alexandri justitia et aequitas, cum tanti imperii, adhuc intacti et invicti, potentia junctae. Illam utramque vinci unquam posse desperans, hanc tamen labefactari posse, existimabat, quippe vanitatis superbia falsus; quod ut efficeret, adparatum bellicum, consilio immani aptum, quantumque orbis terrarum nullum viderat antea, parabat. Viginti populorum et gentium, ipsius imperio obsequentium, viribus et copiis coactis, prudenter cunctans, lente festinans, tandem adpropinquabat finibus imperii Rossiarum, jam amplius centum annos intactis ab omni hostili exterorum populorum invasione, tum autem nuperrime valde prolatis atque amplificatis, altera parte ad Porotam ac Danubium, altera ad Torneam fluvium usque et Bothnicum sinum.

Tum autem superbus ille, fatorum quasi rectorem sese autumans atque executorem, edixit: Fatis jam trahi Rossiam suis; eademque exitum suum, necesse esse, habitura! Itaque horrendo impetu infestus aggredi audebat eum, qui, confisus Deo, sui, suorum fide, Deum obtestabatur: Sese gladium, patriae et injuriae vindicem e manu sua haud depositurum, dum intra fines imperii sui hostis quisquam reliquus foret. Et votum solvit. At impar sane erat certamen, impares erant vires adversae, dissimilis etiam spei et rei utriusque eventus, neque similis cuivis ulli. Quid enim, quaeso, valebat tanta copiarum moles, tanta populorum inviturum conflata multitudo, contra unam gentem unanimam, fortissimam, uno pietatis et voluntatis ardore instinctam, contra ejusdem, bonorum omnium, praeter patriam, ceterorum incuriam, contra ejusdem universam sanguinis et vitae devotionem! Quid etiam valebant summa ars bellica, astutia, peritia ducis istorum, tot tantisque victoriis confisi, contra divinam illam fidem, fiduciam, caritatem Patris patriae immensae, viribus et opibus inexhaustae, contra invictam illius magnitudinem animi, angustam humanitatem!

XII.

Videmus igitur, ut uno obtutu res innumeras, stupendas, horrendas, admirandas visu, auditu, sensu, complectar, videmus, inquam, annum torrentem, immensum, violentum, turgidis fluctibus, nullo litore, nulla mole cohibitis, protinus sese volventem in terras felices, nullis finibus aviditati praestitutis, culta omnia vastantem, secum rapientem, horrendum; videmus eundem subito cohibitum, vasta, immensa flammaram voragine objecta, intus sese praecipitantem, haustum, solutum in vapores pestiferos, gelu saevissimo simul rigentem, infestis omnibus naturae viribus, pereuntem, evanescentem, in terra ipsi infausta. Videmus tristes reliquias, repetentes vestigia vastationis suae, correptas ultimo fato, oppressas, nullis, nisi sordidis, putridisque sui, superbiae suae, monumentis relictis. Videmus tantae stragis, cladis, vastationis, ruinae, miseriae auctorem, fuga vix servatum, solum

fere, ex amplius quingentis hominum milibus, augustam sedem imperii abjecto animo repetentem, imprecatione omnium ibi salutatum, consilii inopem, iracundia furentem, de salute desperantem. Videmus eundem, sui solius servandi cupidum, publicae et privatae omnium salutis prorsus immemorem, veluti temerarium aleatorem, in extremo fortunae discrimine extrema quaevis ausurum, experturum, impubere etiam juventute, infirma senectute in agmina coactis, animo recepto, novis insidiis structis, paraturum populis insonantibus, jam exhaustis, novam calamitatem. Vae infaustae mali daemones, humano generi infesti, memoriae!

Macte autem, Rossia, egregia, praeclara virtute, pietate tua! Macte Kutusove, macti ceteri heroes, virique fortissimi omnes, divi, superstites, vos, qui patriam servastis, rebus tam clare gestis! Macte, Mosquæ, immortalis devotionis tui gloria esto! Macte, invicto animo, invicta fide tua, dive Alexander!

XIII.

Is, ubi primum solverat votum solenne, hoste vel profligato, vel finibus imperii expulso, totus id agitabat, ut populis exteris confinibus, modo infestis illi, quamquam invitibus hostibus, opem ferret promptam, salutem redderet desideratam, amissam, damna accepta beneficiis pensaturus. Ejus praesidio confisa, Borussia insurgebat, unanimo omnium sensu et ardore, magnanima et universa rerum omnium et vitae devotione; mulieribus etiam, societate pietatis juncta, virili animo patriae miseriam levantibus, salutem instaurandam juvantibus. Arminii et Cheruscorum tempora redibant! Varus autem, superstes legionibus suis, ipse ab inferis eisdem revocabat!

Eodem tempore Hispania triumphabat de oppressoribus suis, Wellingtone, Britanno, summo belli duce, gloriam servatoris, liberatoris Hispaniae, pulcram, immortalem, promerente, Victoria urbe victoriae gloriosae teste, nomine ominoso, patriae fausto, hostibus fatali, recuperatae libertatis memoriam servante, salutem gratulante.

Generosum Borussiae exemplum mox sequuta est Austria, longam et gravem injuriam vindicatura, immemor affinitatis, Germaniae salutis, suae, universae prospiciens. Utriusque terrae aquilae foederis societatem sanctam inibant cum aquila Rossa victrice. Suecia etiam, regis sui, populi suffragiis nuper electi, curis et studiis jam instaurata, felicior, Germaniae in libertatem vindicandae, uti olim, amica aderat, opitulabatur. Etenim omnes cupiebant, participes esse gloriae immortalis, qualem Rossia paraverat sibi. Neque tamen facilis negotii fuit, ultimas vires devincere ejus, qui hominum millena, per dies et menses, proelii immolanda, quasi numeros inanes, computare solitus, jam pro salute et capite dimicabat. Tandem vero, concordis foederis viribus et copiis junctis omnibus circumventus, sociorum suorum defectione fractus, proelio trium dierum commisso, in omne tempus memorabili, ingentem cladem passus, in agro Lipsiensi, atque decedere tandem coactus est

Germania, tum liberata. Mox Gallia ipsa etiam videbat exterrita, intra fines suos aquilas foedere junctas; timebat vindices injuriae et servitutis populis omnibus ab ipsa illatae; at magnanima et benigna vindicta erat.

Vidit Lutetia superba, jam laeta, triumphum de se, nulli similem, augustorum victorum, qui soluto pietatis voto eam intrabant, salutati universa civium gratulatione. Alexandrum inprimis, veluti servatorem suum, illa salutabat et adamabat. Vidit illa veterem stirpem regiam a victoribus sibi reductam. Pacem aequam, nullo piaculo redemptam, ab iisdem accepit. Victa beneficiis etiam victori animorum omnium discedenti valedicens bene dixit.

XIV.

Dum autem, Gallia pacata, angustum regum Europae concilium de stabilienda salute et pace universa consultabat, subito tempestas recens oriebatur, res omnes compositas denuo eversura, mixtura. En auctor calamitatis quindecennis, jam exulans in insula ipsi concessa, umbra tamen amissi imperii gaudens, male contentus ea, novas res molitur, ingentes. Redit, descendit cum satellitum manu, in terram, veteris tyrannidis suae sedem, servitutis universae officinam; salutatur populi levis, mutabilis, plausu universo, laetissimo, quippe novarum rerum, recentium praedarum cupidi. Redeunt cum illo pericula, seditiones, bella. Stirps regia iterum fugata. Ille autem, senis atque aegroti leonis instar, jam paternae benignitatis speciem induens, pacem promittit et quaevis laeta, beata. At centum tantummodo dierum laetitia ista erat. Nemo enim regum exterorum deceptus vel delusus est dolosis, sed notis jam satis superque, veteratoris verbis demulcentibus. Edicta in illum est severa proscriptionis sententia et formula. Ejusdem et fati inexorabilis, acerbi, sed justis, executores exstiterunt atque ultro sese praebuerunt Britanni cum Borussis juncti, ducibus, hosti fatalibus, Wellingtone, Bluechero. Fatale iterum interituro leoni fuit loci discriminis nomen, quippe quod illi esset Pulcrum foedus. Etenim ibi, proelium de summae rerum discrimine committere ausus, de victoria obtinenda satis confisus, eandemque jam proclamari jubens, subito correptus fato suo et oppressus, insigni et universa suorum, satellitum etiam, veteris gloriae fidorum comitum, clade affectus, profligatus, fugatus, spoliis opimis in fuga relictis, spe omni potentiae et salutis unquam recuperandae privatus iste, tandem desperans, in Britannorum, maxime infestorum ipsi, deditionem sese dedit, atque ab illis deductus est in insulam solitariam, longinquam Atlantici maris, quasi in carcerem et sepulcrum perpetuum ambitionis, longae facinorum poenitentiae relinquendus, nocendi potestate prorsus exutus, summa cura custodiendus, omnibus obliviscendus. Talem exitum habuit magnitudo, gloria hominis, bellum continuum, atrox, gerere ausi adversus Deum et homines, adversus divina, humana jura, adversus ipsam humanitatem. Graviore jam levitatis, temeritatis, lubricitatis poenas dabat populus Gallorum, denuo superbiens, denuo superbiam luens. Recepit regiam stirpem, regnum, regem. Reddere cogebatur ornamenta terrae cuius erepta, solvere gravia tributa, qualia olim imperaverat, exegerat a

populis victis. Circumscripta Gallia est veteribus finibus suis, haud quidem angustis; provisum, ne denuo superbiret.

Tum demum, remoto tempestatum auctore, custodita sede et officina bellorum, seditionum, turbarum perpetuarum, requiescere coepit et refflorescere salus publica totius Europae. Reflorescebat Batavia cum Belgia juncta, in regni sejuncti formam redacta, generi regio legitimo, veteri libertatis vindici, restituta. Resurgebat Germania, instauratis veteris civitatum societatis, veteris caritatis et pietatis vinculis; Rhenum suum, terrasque suas ad eundem sitas, a Gallia sibi ereptas vindicabat, atque Borussiae maximam partem tribuebat in praemium et gratam memoriae redemptae multo sanguine et vindicatae libertatis. Resurgebant pacatae Italiae terrae omnes, legitimis dominis suis redditae. Helvetia instauratam sui potestatem et libertatem bene meritam, recuperavit. Requievit et reffloruit denique Polonia cum Rossiarum imperio juncta, legibus tamen suis servatis usura. Universae autem paci et saluti, in futurum tuendae, servandae consultum, cautum, prospectum est, sacro mutuae et perpetuae societatis et fidei potentissimorum regum Europae adversus omnes rebellatores futuros foedere, religionis sponsione sancto, cujus auctor et conditor existit salutis et libertatis universae instaurator, benedictus Alexander, primus sui nominis, primus et princeps suae aetatis, memoriae omnis!

XV.

Jam vero omnes intelligebant, atque rerum tantarum, eventorum tam mirabilium experientia edocti, prorsus et penitus persuasum habebant, mala et vulnera omnia, qualia, quantacunque perpeccatum esset genus humanum, orta esse a sola impietate, temeritate, lubricitate, Megaera tricipite, modum et fines omnes divini, humani juris, justitiae, egressa, nihil pensi neque sancti habente, divina, humana omnia violare, facinora quaevis patrare audente; salutem autem redditam, recuperatam divinitus esse, atque divinam tutelam, desperantibus de illa tum maxime adfuisse, quum humanae opis nihil amplius superesset, neque quidquam agere et valere viderentur humanae vires, ad interitum arcendum. Clara erant et luculenta summi numinis, summi regiminis signa, testimonia, documenta, in summo rerum discrimine. Judicium habitum erat severum, at justum de criminis laesae humanitatis reus, singulis hominibus, integris populis, populorum regibus; atque gravi poena et vindicta sanctum, cautum est, ne postera progenies ulla immemor unquam foret summi rerum omnium rectoris, summae legis, pietatis. Proposita sunt exempla ac documenta conspicua, quae confirmarent, haud vanam neque irritam esse humanam divini praesidii fidem, divinae vindictae verecundiam. Exempla extiterunt clarissima, duo imprimis, alterum, unde adpareat, quanta perdere, diruere, evertere possint vel unius hominis, vel singulorum paucorum malignitas, impietas, atrocitas; alterum docens atque demonstrans, quanta condere, instaurare, servare valeant unius bonitas, humanitas, sapientia; utrumque autem confirmans, qualia, quanta sint praemia indolis utriusque, vel bonae, vel malae, a mortalibus tribui

solita, a Deo immortalis praestituta. Edocti sunt populi, quam salutaris, quam necessaria saluti ipsorum tuendae, servandae sit patria patris potestas, caritas; quanto praevaleat utraque multorum imperio. Dubitare profecto nunquam proinde poterit humana de rebus gravissimis sententia, labefactari nunquam diva nostra divini numinis fides!

Jam tria fere, inde ab illo tempore, in quo contemplando constitimus, denuo elapsa sunt saeculi nostri lustra, qualia, quanta, quantis muneribus insignia, quanto etiam dolore! Quanto in temporis puncto, rerum discrimine, nunc etiam versamur! Seminaria salutis, tempore illo, cujus memoriam repetivimus, condita, quaevis bene et sapienter instituta, vigent adhuc et florent, aucta etiam laetis incrementis, ornata recentibus beneficiis. At reliqua etiam erant priorum temporum mala et vulnera, gravia, insanabilia fere visa, quae humanum genus doleret. Reliqua erant magna et ardua molienda, exigenda, magna praemia merenda. Lugebant adhuc terrae, olim florentes, miseriam sui et ruinam, populi olim clarissimi insignem calamitatem, qualem per saecula jam perpassi erant. Vindex desiderabatur injuriae diuturnae, atrocis, violentae, vindex potens, justus, humanus, qui oppressis adesset, erepta vitae et salutis munera redditurus.

Talis vero exstitit, talis adest, talem habemus! talem, salutis nostrae servandae custodem, instaurandae illorum auctorem gratulamur nobis, et illis, qui ejus praesidio gaudent, ALEXANDRI fratrem, NICOLAUM! Miramur et admiramur rerum, ipsius auspiciis gestarum, famam et gloriam, in dies augescentem. Superat enim eventus omnem expectationem! Laetamur novae lucis et salutis auroram splendide jam ortam terrae illi, unde antiquitus humano generi orta est lux clarissima humanitatis; terrae illi, ubi primum quondam solium escendit, majestatem obtinuit, externum regni splendorem induit christiana fides; unde in terras Rossiae est propagata. Admirantes divina consilia, divini regiminis vias, pia vota quotidie facimus, quotidie solvenda Deo, pro salute servata, servanda Augusti Imperatoris nostri, benignissimi, NICOLAI, atque cunctae AUGUSTAE DOMUS; pro laetissima Spe publica, adolescente!

Jam introite Gymnasium nostrum, adeste solennibus nostris, viri amplissimi, ornatissimi, humanissimi, summopere colendi: publicae rei regundae, custodiendae, administrandae Illustrissime Praesul, perillustres Praefecti, sacrorum magnifice Antistes, venerandi ministri, civitatis principes, urbis proceres, muneribus publicis fungentes, cives omnes et patres familias, omnesque publicae et patriae rei ac salutis cultores, studiosi! Introite, nam et heic numen est caritatis, pietatis, humanitatis! Adeste praesentes hisce, quae jam parantur, Gymnasii nostri solennibus, anno aevi sui quinto et vicesimo fauste peracto, celebrandis! Gratis piisque animis celebremus, una atque unanimi, memoriam beatam divi conditoris et instauratoris seminarii vigentis hujusce salutis publicae! Celebremus memoriam Divi **ALEXANDRI Primi, Benedicti!** Salutem precemur sospitem, integerrimam Augusto salutis publicae atque ejusdem seminarii conservatori, **NICOLAO PRIMO!**

Quodsi autem existimatis, divi conditoris consilio et spei huicce divinitus adfuisse hucusque laetum eventum, sementi fructum, neque defuisse ministrorum Augustae voluntatis exsequendae curis atque laboribus successum, prosperitatem, vota faciamus una, pro hujus Gymnasii nostri salute futura, servanda, augenda, ornanda!

Salvete, viri clarissimi, doctissimi: perillustis Director publicae rei scholasticae Livoniae, qui et Gymnasio nostro praees singulari cura, studio indefesso, Praeceptores Gymnasii omnes, collegae humanissimi, qui, pro munere et officio suo quisque eidem adestis mecum, assiduis curis, studiis, labore. Vobis inprimis, praeceptorum veterane, principes, in hisce solennibus gratulor, Tibi alteri, Gymnasii nostri, ex quo conditum est, consorti aequali, incrementorum ejusdem testi et adjutori, muneris, per quinque lustra haecce rite et strenue administrati, fidem, felicitatem, solennia fausta, Tibi etiam, Tua causa, jam celebranda; Tibi vero, alteri, insignem, quo, jam per XII annos, duplicis muneris, utriusque humanitati sacri, triplicis etiam, dum functus es directoris vicarii munere, officia sustinuisti, iisque satisfacisti, animi vigorem, ardorem, fidem, fructus uberrimos!

Memores etiam et praesertim simus virorum, superstitem, fato jam defunctorum, clarissimorum, doctissimorum, qui antehac et praefuerunt, et adfuerunt Gymnasio nostro, praeclara voluntate, cura, doctrina, virtute, atque inprimis promeruerunt de ejusdem salute et incrementis!

Gratulor Vobis, amicissimi adolescentes, Gymnasii nostri alumni, laetum et solennem diem huncce, qui Vobis monimento sit atque incitamento studiorum, patriae salutis summopere et potissimum dicandorum! Memores jam simus hodie clari illius diei, triumpho celeberrimo, de Persis victis, decori, quo Augustus Imperator noster, **NICOLAUS**, intrare dignatus est Gymnasii nostri aedem et classes omnes, praesens affirmans, confirmans, quantae Sibi curae esset, foretque ejusdem prosperitas! Gratulemur nobismet amplissimorum virorum, quibus Ipse praesidium, curam, custodiam ejusdem tradidit et mandavit, praeclara, egregia, de aucta, augenda ejus salute, merita; qualium inprimis Illustrissimi Principis, **C. LIEVEN**, regundi publici cultus summi Praesidis, ac Ministri; Excellentissimi Baronis, **M. PAHLEN**, publicae rei scholasticae in provincia Dorpatensi Curatoris; Viri Excellentis, **G. EWERS**, magnifici Univers. liter. Dorpatens. Rectoris; amplissimi denique collegii scholastici Dorpatensis, praesidium nostri, curam, custodiam, beneficia insignia et multifaria, nobis tributa. Gaudeat et in futurum Gymnasium nostrum fausta fortuna et prosperitate ea, quae inest atque adest rei cuius conditae a **DIVO ALEXANDRO!** Dignum sit caritate paterna, qua saluti ejus atque cunctae omnium servandae prospicit Augustus Pater Patriae, **NICOLAUS**, cui salutem precamur prosperrimam, animo, virtuti, gloriae Ejus parem!

Salvum serva Eum nobis omnibus, Pater omnipotens, aeternae!